



Disputatio de febre hectica,

<https://hdl.handle.net/1874/428355>

Disputatio
DE FEBRE HECTICA,

QVAM
Diuini Numinis aspirante
gratia,

PRÆSIDE

CLARISSIMO
VIRO, DOMINO GEORGIO
HAMBERGERO, MEDICINÆ DOCTORE,
cuiusdemque in inclyta Tubingensium Academia Professore
celeberrimo, præceptore suo summa reuerentia co-
lendo, exercitij gratia defendere
conabitur

BALTHASARVS BRVNO FEVCHT-
VVANGENSIS, F.

In Auditorio Medicorum 25. Nouemb.
hora solita.



Tubingæ, apud Georgium Gruppenbachium,
Anno M. D. LXXXVI.

D. A B R A H A M O

BRVNONI ECCLESIAE MI-
CHELBACENSIS PASTORI
FIDELISSIMO,

PAREN TI S V O O M-
N I F I D E E T O B S E R-
V A N T I A C O-
L E N D O,

Hæc Progymnasmata Medica amo-
ris, filialisq; obseruantia ergo ex
inclyta Tubingensium Academia
mittit Respondens.

3.
D E F E B R E
H E C T I C A D I S -
P U T A T I O .

Q U Æ S T I O .



NE DIFFICILIBVS CV-
ratu, tanquam facilibus per ignorantiam
manum, vt Trallianus inquit, admouea-
mus, & sperato successu frustremur: Neque
viciſſim curatu facilia ceu deplorata vici-
mus, de febre Hectica, qua pro diuerſitate
graduum, curationem recipere poteſt, aut non poteſt, primùm
quid ſit, qua huius differentia, ex quibus oriatur cauſis, ex qui-
bus item deprehendatur indicijs, qua huius methodica ſanandi
ratio hac diſputatione inquirere libuit.

Theſis I.

Hectica autem nomen quod omnibus patet & ἡ ἕκτα; au-
tore Galeno lib. 1. de diff. feb. & alijs in locis deſumptum eſt, vn-
de hectica nomine donantur omnes febres, qua agrè diſcutiun-
tur, & ſolutu contumaces ſunt, vt putrida pituitoſa, quartana,
ſic omnes morbi Chronici hectici nominari poſſunt. Deinde priua-
tim hectica tantùm nuncupantur febres, qua in partibus corpo-
ris ſolidis accenduntur.

2. Hæ eodem Galeno citatis locis aſſerente appellantur he-
ctica, quòd inſtar habitus firmæ, atq; ſolutu difficiles ſint, vel
quia corporis habitum & μέγεθος quæ humidis opponuntur,
occupârunt.

3. Etenim febris quæ iam facta est, aut hectica aut schetica est, & hectica ijs morbis quæ ῥέσις dicuntur opponitur, nam febres quæ facile discutuntur, & non in habitu corporis consistunt, neque partes solidiores occuparunt, quæ ῥέσις Græci vocant, quæ tales non sunt ὡς ἔσθ.

4. Cum autem nullus affectus præter naturam per se cognitus esse possit, nisi nobis constet, quis locus in corpore sit affectus, quis præter naturam affectus, quæ causa, an ῥέσις πρῶτος πᾶσιν, an verò δὲ ὑποπᾶσιν, an ab utrisque oriri possit, ideo de his iam aliquid dicendum.

5. Hectica itaque subiectum est ipsa cordis substantia, quæ ut in alijs febrim speciebus, ita & in hac licet dissimili ratione potissimum affligitur, aliàs quidem primario per se, & immediatè à corde initium sumit, aliàs verò à parte quadam corporis.

6. Hinc quidam hecticam duplicem statuunt, vniuersalem vnam, alteram particularem: Illam primariam, propterea quòd cordis primùm substantiam inuadat, & postea à modò reliquarum partium substantiâ corripit, appellant: Hanc verò particularem, non quòd reuera particularis sit, quia omnis est vniuersalis, sed quia non à corde, sed à parte quapiam corporis ortum suum trahat.

7. Quapropter primaria hectica ab initio nullo prægresso alio morbo, quemadmodum Ephemera generatur, quando immediatè à corde hæc febris initium sumit, & primùm in cordis substantiam calor præter naturam incensus quasi figitur, quemadmodum ab euidèntibus causis ut liberaliore vini generosissimi potu & similibus fieri potest.

8. Qui autem tali de causa hectica comprehenduntur, calido & sicco temperamento præditi sint necesse est, in quod facile imprimitur, siue ἐν τῷ ἀρχαίῳ χρόνῳ; tale sit, siue posterius

ex calido siccoq; victu, & plurima dimorione, à vigilia & cura, à tristitia & regione calida siccaq;, à tempore astiuo & cæli statu calido siccoq; sit acquisitum.

9. Per consensum verò hectica particularis oritur, quando à parte incipit, & postea successiue peruenit ad cor, vbi calor præter naturam in propriam cordis substantiam penitus figitur, quæ tamen proprie hectica censi non potest, sed symptomatica, & quia lenta est, & quia paulatim à partibus fit.

10. Licet autem harum partium plures sint, vt lien, pulmones, renes, vterus, interanea, tam tenuia, quàm crassa, & alia, tamen Galeno 10. meth. attestante, duæ sunt præcipue, vna est ventriculus, altera hepar, siue inflammatione seu phlegmone aliqua affecta fuerint, siue simplicem intemperiem calidam habuerint: Vicinitatis siquidem ratione ex inflammatione horum membrorum facîle intemperies calida in cordis substantiam imprimitur.

11. In sepro transuerso Galenus marasimum non vidit, sed hecticam sanè febrim vidit, & hanc quidem planè absolutam, sæpe verò citius interimentem, quàm planè esset completa, ægri siquidem magna ex parte prius moriuntur, quàm hectica prorsus sit perfecta.

12. Dicimus igitur febrim hecticam esse calorem præter naturam, in cordis substantia primùm ac per se hærentem, doloris expertem.

13. Teste siquidem Galeno lib. de inæq. intemp. Omnes corporis solida particula cum prorsus & τελίως excelsa fuerint, eiusmodi febris hectica vocatur, ceu quæ non amplius in humoribus & spiritu solum, sed etiam in corporibus quæ habitus rationem habent, comprehensa sit. Hæc ἀνάδω & δ' ἔστι, nam qui ita febricitant, omnino sese carere febre existimant,

calorem enim non sentiunt, omnibus partibus in ipsis ex aquo excalfactis.

14. Hæctica porro duobus efficiuntur modis, interdum enim ἐκ μεταστάσεως à febribus putridis vel Ephemeris, interdum à causa procatartica proueniunt, ubi statim ab initio inuaserunt, primam generationem diarijs similem habent.

15. Magna quidem ex parte hæctica vocata febris, ex ardentibus oriuntur febribus, quæ prorogantur adeò, ut spacio temporis humorem corporis cordis consumant, unde rarum, imò rarissimum est, hæcticam per se inuadere, non progressus diaria vel putrida febre.

16. Diligenter tamen diaria & putrida discernenda sunt ab hæctica, quod potissimum fit caloris qualitate, urina, pulsus, tempore durationis, augmento & decremento. Etenim calor in hæctis δακνώδης, acris, & siccus est, in Ephemeris verò mitissimus apparet. Urina in his cocta, in illis verò nulla concoctio sese exhibet. Tertiò in diarijs pulsus magni celeres, in hæctis autem exigui & obscuri. Tempore durationis etiam discernuntur, nam horis decem aut duodecim præteritis, si febris non conquieuerit (nisi sit ἐφίμωρα πλούμωρη) hæcticam fore existimandum est.

17. A putrida febre licet multis distingui possit, unica tamen distinctione in medium allata, iam contenti sumus, nam febris quæ nullum prorsus διάστημα, nec vllas εἰσοδάς habet, adhuc neque obscurior, neque remissior aut vehementior sit, sed firma & constans hæret, hæcticam hanc esse putato, etenim in putridis febribus est inæqualitas pulsuum & caloris, & per initia accessionis & incrementa eueniens.

18. Porro febris hæctica sua tempora vel potius gradus ob-

tinet.

tinet, qui à Galeno de diff. feb. 1. enumerantur, principium he-
 tica, quod ipsa affectus qualitate, non dierum aut horarum nu-
 mero definitur, quando calor præter naturam humidum radica-
 le occupat, ut efferuescat, non autem ut absumat, sed periculum
 imminet ne exiccecur.

19. Is gradus hectica duplex statuitur, vna est, quæ sola
 & circa alterius febris accessionem consistit, atque hæc cognitu
 facilis est: Altera quæ adiunctam habet febrim aliquam putri-
 dam, & hæc difficilimè cognoscitur.

20. Alter gradus est, ubi humoris ab ebullitione sic con-
 sumptio, & ea progrediente, similia quoque corpora sic-
 ciora euadunt, minusque aluntur, & facultas in tantum debi-
 litatur, in quantum calor & siccitas in corde aucta sunt, &
 hæc mediam naturam tenet, inter dictam & $\mu\alpha\alpha\sigma\mu\omega\delta\eta\varsigma$,
 quæ magnam latitudinem obtinet, prout magis ad primum
 vel tertium gradum declinat, & hic gradus augmentum di-
 citur.

21. Tertius gradus nuncupatur status, & est exquisitus
 marasmus, cum carnosâ substantiâ absumptâ, & calor ille febrili
 immensus etiam $\epsilon\mu\phi\upsilon\tau\omicron\upsilon\pi\ \delta\delta\epsilon\mu\omicron\upsilon\pi$ paruum manifestè ac per-
 spicue depopulatur atque consumit. Hic gradus est hectica cum
 marcore Græcis $\mu\alpha\alpha\sigma\mu\omega\delta\eta\varsigma$ appellata.

22. Comparantur hi gradus non ineptè à Galeno, Auicenna,
 & alijs Practicis oleo in lampade cum ellychnio. Primum
 enim est oleum, circumdans totum ellychnium, $\delta\epsilon\upsilon\alpha\lambda\delta\iota\alpha$
 Galenus nominat, & est humidum nutrimentale, deinde est
 humidum intrinsecum, substantiæ ellychnij imbibitum, quo im-
 mediatè fouetur flamma: Tertio est humidum radicale el-
 lychnij, quo partes eius substantiales tenentur.

23. Simili modo in humano corpore humiditates tres (quar-
tam enim quæ ἀνώματη ἐστὶν, prætereo) reperiuntur, secun-
da Auicenna & Practicis dicta: Prima est Ros, veluti ole-
um ellychnij substantiam, corporis nostri membra σποροῦς
δὲς circumdans. Altera est intrinseca, qua proxime in
partis substantiam transit, veluti nutrimentum in effectum,
antiquis scriptoribus cambium dicitur. Tertia humiditas
est, qua partes inuicem compacta tenentur, & appellatur
gluten.

24. Ex dictis iam facile gradus hectica colligere licet, si
enim in Rose calor est, ex quo nutritur cor, erit primi gra-
dus hectica, si verò humoris iam nutrientis seu cambij con-
sumptio fuerit, altera hectica species constitueret, si autem glu-
tini & humidi primigenij destructio fuerit, tertij gradus he-
ctica orietur.

25. Hinc Alexander Trallianus lib. 12. de hectica febre
agens, tres huius differentias ponit, primã cum immodicus fer-
uor substantiali humiditati, quæ solidis particulis inest, super-
uenerit, non tamen hæc dissipata fuerit, verum salua adhuc in
eis perseuerat, semperque serueat, & nullam declinationem ha-
beat. Si verò substantialis humiditas, non seruet solum, ve-
rum etiam consumitur in nobis, huiusmodi febris à marcore
Græcis μαροσμοῦς appellatur, sin autem in totum consumpta
fuerit substantialis humiditas, aut correfacta, tunc μαροσμοῦς
ἄπλως constituitur.

26. In singulis autem simplicium & primarum quas vocant
partium, triplex substantia est, quarum alia est veluti μνώδης,
seu fibrosa, alia membranosa seu ὑμενώδης, alia σαρκώδης seu
carnosa.

27. Caro quidem propriè appellatur ea, quæ in musculo
est.

est, sicut quæ in visceribus, ut iecore, renibus, liene, pulmone $\pi\epsilon\iota\ \chi\upsilon\mu\alpha$ autore Erasistrato. In intestinis verò ventriculo, stomacho, utero quiddam simile est carni proportionem respondens, de cuius nomine laborandum non est, cum perire & regigni possit, fibrosa autem & membranosa partes regigni nequeant.

28. Hecticam porrò provenire dicimus ab omnibus ijs, quæ excalfaciunt & desiccant, atque cordis substantiam, & partes solidas accendere & inflammare possunt.

29. Externa causa sunt, tristitia immodica, mœror diuturnus, angustia summa, defatigationes animæ & corporis, squalidus carcer, ira, labor, & quicquid corpus extenuare & exiccare potest. Ita medicorum interdum errores, qui victum nimis tenuem præscribunt, aut aquam frigidam quo tempore exhibere non debent, exhibent, ut si hectica ab inflammatione, aut putredine, aut crudis humoribus excitata fuerit. Item cum ob animi defectum vinum generosum, aquas stillatitias excellenter calidas, diamoschu aut similes species præbent, quæ omnia ob sui caliditatem ægrum ad hecticam perducere possunt.

30. Interdum hectica $\epsilon\upsilon\ \mu\epsilon\tau\alpha\ \pi\acute{\alpha}\nu\omicron\tau\epsilon\omega\varsigma\ \tau\acute{\iota}\ \epsilon\pi\iota\ \sigma\acute{\iota}\delta\delta\ \pi\upsilon\gamma\epsilon\tau\omega\mu$ ut Gal. lib. 1. de diff. feb. & Alexander Trallianus supra citato libro testantur, oritur, & ideo febribus acutis & ardentibus ut commemoratum est, potissimum malè curatis succedit, aut potu tempestiuo aquæ frigida non refrigeratis, aut contrà alijs pharmacis calfactis & exiccatis.

31. Non tantum autem putridas, sed & Ephemeræ, teste Avicenna, comitatur febres, quemadmodum etiam ab internis inflammationibus seu phlegmonibus, ut paripneumonia, phthoe, pleuritide, hectica oritur, quæ curationem non admittit, nisi sublato prius morbo.

32. Febris hectica indicia habet varia, pro gradus in quo versatur varietate. Primi gradus hectica signa sunt: Si constat externam causam vehementem antecessisse, etenim si leuior hæc est, Ephemeram potius inducit: Si triduo aut quatruiduo exacto, febris citra insigne aut notatu dignum incrementum vel decrementum æqualiter perseveret: Si mitis quidem in principio caloris qualitas, sed postmodum acris & mordax, unde etiam pulsus paruus, durus, debilis, frequens, & arteria quam circumpositæ partes calidiores sentiuntur: ἀδλιπὸν πρætere ἐπισημασίου. Nam accessionis inuasio molestia carere videtur.

33. In secundi gradus hectica, præter commemorata indicia inualefcente iam & aucta cordis siccitate, corpus manifestè colliguescit, cambium, adeps, caro absumuntur, vrina pinguedo telis aranearum similis innatat, pulsus durus, tensus, debilis, minor.

34. Tertij gradus hectica quæ cum Marasmo incidit cognitu promissima & facilima existit, si ab oculis, facie, & toto peruntur signa, hæc ferè sunt: Oculi immodicè caui, ac q. in quibusdam foueis siti atque repositi, λιμὸν in angulis oculorum sicca, & squalidus affectus immoderatus totius corporis, præterea viuidus & floridus faciei color quem Græci ῥοδία ἀνθὸν nuncupant, perit, palpebras vix atcollere possunt, dormitantibus similiter semper affecti. Carnes quæ in temporibus sunt contabuerunt, calor & pulsus se habent vt dictum est, cutis extremè arida, & quid multis opus? vix ossibus hærent.

35. Maxima verò nota est hecticarum, quòd à cibo caloris incrementum fieri videatur: non est autem incrementum, sed caliditatis in alto celata & occulta, argumentum.

36. Quippe in his tale fieri contingit, quale in calce, etenim ut ignis in hac celatus ab infusa aqua deprehenditur: Sic etiam in hecticis cibus assumtus calorem in alio delitescens foras tuocat. Atq; hoc proprium & inseparabile his febribus est, ut oblato cibo calor accendatur.

37. Deinde si hectica symptomatica fuerit, in curatione plurimum refert scire à qua corporis parte initium fecerit. Id quod ex agris ipsis percipiemus, an magna alteratio, intemperies, vel inflammatio ventriculi, hepatis, renum, uteri, intestinorum, diaphragmatis præcesserint. Huc itaque propria cuiusque partis, ex qua malum hoc initium suum sumsit, indicia referenda.

38. Et quia diaphragmatis hectica rarior est, cum prius moriantur quam hectica laborare incipiant, nihilominus à Galeno lib. 10. meth. διαγνώσας laborantis septi transversi describuntur.

39. Quae sunt: Pulsus durities, difficultas spirandi inaequalis & varia, ita ut præcordia plurimum aliàs attollantur sursum, aliàs insigniter parum & frequens spirent, rursus manifestè spiritum tardent, deinde tanquam gementes respirent, vel duplici modo spiritum vel foras sic emittant. (Hippocrati hæc spiratio πνεύμα προορόμωρ, alibi ut lib. 2. Victus acut. πνεύμα προοπταίωρ dicitur) vel eum modum spirent, ut cum toto thorace homoplatas etiam attollant, aliquando etiam magnam & raram respirationem edant, præsertim cum delirium vehemens est.

40. Si ab initio statim hæc febris irruat, & generatio prima diarijs similis ob tristitiam, iram, vel lassitudinem ampliorem fiat, non difficile est hanc sanare, cum immodicus saltem feruor, substantiali humiditati quæ solidis particulis inest, supervenerit, eaq; nondum consumpta vel correfacta fuerit.

41. *Hæctica* verò torrida & marcida, qua in tabem processit, curationem non recipit. Natura enim ipsarum calida & sicca est, tale quiddam patiente corde, quale quid patitur funiculus in lucernis, ubi plurimum fuerit exustus, qui enim ita exustus est, imminuitur, ut neque si largum oleum affuderis, luculentam flammam excitare possis, proinde parua hæc & infirma flamma circumcirca tremit, semper amplius minor euadens, donec penitus fuerit extincta.

42. Vnde facilis cognitio est hæc febris, sed difficilissima imò impossibilis curatio, & ob nimiam consumptionem & virium summam imbecillitatem, quemadmodum prima species est difficilis cognitionis, & facilis curationis, teste *Auicenna*, media inter utramque in cognitione & curatione medium obtinet locum.

43. Præterea si hæctica febris putrida coniuncta est, vel tumor aliquis præter naturam, vel inflammatio, vel *Erysipelas*, res desperata, & æger deploratus videtur, cum indicationes inuicem pugnent.

44. Inuadit hoc malum tenuia corpora & pauci sanguinis, & talia celeriter quoque consumit. Hinc *Galen.* lib. non semel allegato 1. de diff. feb. asserit, nullum statim ab initio correptum fuisse tali febre, qui corporis habitum humidum habuerit, sed qui natura siccor, & maximè si vnà calidus temperamento fuerit, vitamque laboribus, vigilijs ac curis deditam delegerit, tenuique victu usus sit. Talem statim ab initio hæctica febris inuadere potest, ac magis æstate, & constitutione calida & sicca, loco præterea eiusmodi.

45. Quando autem hæcticis vngues adunci fiunt, status adest, cum caro qua verinque firmantur absunta sit, & si capilli defluunt, æger morti vicinus, si fluxus ventris oboritur, eadem

dem est propinquissimus, cum profluvium alui malum sit ve causa, quia detjcit vires, & ut signum, quia naturalis facultatis imbecillitatem denotat.

46. Si tiliarum inflationem patiuntur, vltierius quorundam sententia viuere non possunt, imò ut plurimum trium dierum spacio ex summa virium imbecillitate & caloris defectu commoriuntur. Nam aliàs sæpenumero sine singulari aliquo periculo fit tiliarum inflatio.

47. In curatione quam succinctè perstringemus, maximè obseruandum est, an simplex febris hectica facta per se, de qua potissimum tractamus, an putrida coniuncta, an ex partis cuiuspiam affectione sit, horum enim respectu cura variat.

48. Κεφάλαιον autem & summa curationis hecticae per se orta in refrigerando & humectando sita est, tam ijs quæ intrò sumuntur, Græcis προοφρόμωνα dicuntur, quàm quæ extrà admouentur, tam ijs quæ actu & κατ' ἔξωθεν, quàm quæ potentia vel καὶ δυνάμει, vel etiam καὶ συμβεβηκός hoc præstare possunt. Quædam utranque complicatam facultatem habent, ita ut per se, & per accidens refrigerent.

49. Simplex hectica nullo maiori remedio irritanda. Maiora remedia sunt phlebotomia & purgatio, interim tamen ubi necessitas postulare videtur aluum lenientibus, potissimum enematis refrigerantibus & humectantibus subducere & eluere prohibitum non est. At electiuè purgantibus vacuare non licet, cum & ventriculi vires destruant, & intemperiem calidam adaugeant, si tamen aluus obstructa, nec Cassia, nec Manna, nec Syrupi rosarum vel violarum solutiui & similes prohibentur.

50. *Victus autem ratio, neq; sic nimis tenuis, cum nullum hic iudicium expectetur, sed neq; pleno quoq; opus est, quod is concoqui nequeat, & insuper febris inde increseat.*

51. *Ergo intra corpus potus & cibus assumuntur, atque aer inspiratur. Potus sit aqua frigida, praesertim si ea assuetus est aeger, moderatè assumta. Aut aqua in qua parum cinamomi sit decoctum, vel aqua hordei non multae decoctionis, aut in qua coriandri semina preparata decocta fuerint. Aut vinum aquosum, tenue & modicè dilutum, vel conficiatur Iulepum longum dictum ex seminibus communibus frigidis, violis, endiuiis, lactuca, portulaca, scariola & similibus.*

52. *Nutrimtum autem hecticorum humidum & frigidum esse debet, & quod summo perè celebratur est ptisana, deinde iusculum ex pane infuso, cum lactucis, portulaca, endiuiis & similibus alteratum, item cancrorum caro & lac quod mirificè hecticis prodest, modò alia febris ab humorum putredine orta, non complicitur. Et caro pullorum aut caponum alterantibus preparata, & harum contusum. Praeterea testiculi gallorum, caro hedi, phasianorum, volucrum, insuper cochlea nemorales rite preparatae, item pisces saxatiles, ova sorbilia, amygdala, pinei nuclei recentes, mala punica, cucurbita, citrulli, cucumeres. At melones cum in acetosum promptè in ventriculo conuertantur, à quibusdam improbantur & reijciuntur.*

53. *In exhibitione ciborum hoc etiam obseruandum est, ut cibum vno die sepius, minori tamen dosi assumant, ne si vna vice magnam ciborum copiam ingerant, virtus inualida vincere & concoquere haud possit.*

54. *Quatenus autem vires aueri cernimus, eatenus nos quoque*

quoque cibis adijcimus, unde progressu temporis restauratis non nihil viribus, & mitigatis febribus mollissimum & recentissimum caseum dare ipsis non est alienum.

55. Notum est enim duos esse secundum doctrinam Hippocratis scopos, à quibus indicatio nutriendi petitur, est $\alpha\mu\mu\delta$ seu vigor morbi, & vires ægri.

56. Supra omnia aeris est habenda ratio, hunc temperatum esse oportet, si calidior, ut astate, refrigerandus, si frigidior, ut hyeme, non tam igni, maxime prunis, quam leui flamma aut vapore aquæ calidæ alterandus est.

57. Aer etsi varijs medijs refrigeretur, tamen nos pauimentum frequenter irroramus aqua frigida, liquore rosarum stillatio, violarum, endiuia, semperuui, rubi, & similibus. Humi folia salicum, capreolos vitis, flores rosarum, violarum, nymphaeæ & id genus alia spargimus. Ager in subterranea domo decumbat, aqua ex alijs vasis in alia decidat.

58. Huiusmodi sane aer omnibus hecticis conducit, maxime vero, quibus pulmo & cor igneum ardorem primario senserint. Etenim hi à cibo & potu refrigerantibus non tantum iuantur, quantum à frigidi aeris inspiratu. Contra si iecur & venter aut alia quedam particula affecta fuerit, maius à cibo & potu sentiunt commodum quàm ab aere.

59. Motus immodicus & quicquid vires resolvere potest euitandum, quies imperanda, loco autem exercitiorum frictiones proderant. Affectus animi immodici ut ira, metor, tristitia, cum non leuem exiccandi & excalfaciendi vim obtineant, prorsus vitanda sunt.

60. Somnus moderatus sit, vel paulò longior, & ut inquit Actuarius lib. 3. method. med. sub finem: Somnus à cibo conciliandus, & quærenda animi oblectamenta, & relaxatio-

nes, & quodcumque tandem cum refrigeratione humectare putatur.

61. Non autem ut in Ephemeris solius diata administratione contenti simus, sed etiam accedendum nobis est, ad remedia quæ foris admoventur, & intrinsecus etiam locum habent, quibus refrigerandi & humectandi facultas inest.

62. Interna sunt syrups, qui non ob materiae concoctionem, sed alterationem saltem exhibentur: Violatus, rosatus, nenupharinus, de indiua, de portulaca, de succo cithorij, de papauere & similes, qui cum aquis stillaticijs vel decoctis alterantibus præbentur.

63. Ita etiam conuenit morsulos restaurantes, tabulas, electuaria & similia ἀναληπτικὰ Φάρμακα exhibere, quorum formulas ne prolixiores simus, omitimus.

64. Cum autem horum remediorum quædam maiorem, quædam minorem vim refrigerandi nacta sint, ideo quanto hectica carum febrium affectus fuerit calidior, tanto utiq; frigidiora requirit auxilia, interim diligenter procurantes, ne valentibus auxilijs videntes, quicquam ledamus.

65. Inter ea quæ foris administrantur, balnea sunt, quæ huic malo obnoxijis valde idonea videntur, ac nequaquam audiendus est Philippus Medicus, qui apud Galenum præcipere videtur, in hac affectione formidanda esse balnea.

66. Siquidem ægri in balneum ingrediantur, in aëre primum versentur calido, postea in calidam aquam descendant, mox ab hac egressi in frigidam, postremò sudent, atque sudorem detergant.

67. Has quatuor balnei partes, vires & usum Gal. lib. 10. meth. accuratè & copiosè admodum explicat, at cum ista ratio balneorum nostra ætate non sit in usu, ideo horum meminisse
suffi-

sufficit, unde mirum etiam videri non debet, etsi pauci hectici à Medicis curentur.

68. Possit balneum hecticus oleis & vnguentis refrigerantibus & humectantibus inungendus erit, ad quam rem valet Oleum nymphae, de papauere, & imprimis rosaceum, quod teste Gal. 3. de sim. med. fac. amentia corpora mirificè humectare potest. Aut possumus solo oleo amygdalarum dulcium, admixta olei rosati portione vri.

69. Ceratum refrigerans Galeni quod humectandi & refrigerandi vim habet, imprimis vrile est, & ex olei rosacei citra salem confecti vncijs tribus, cera eloræ atque albæ vncia vna componitur. Sunt autem hæc liquanda in vase duplici, eoque refrigerato, atq; in mortario tantum frigidissimæ aquæ admiscendum, quantum in se, dum mollietur, recipere potest.

70. Galenus postea alia Medicamenta refrigerantia describit ex succo oxalidis, portulacæ, semperuiui, lactucæ, inybi, &c. cum tenui polenta commista. Sicut etiam epithemata ex palmulis pinguibus cum aceto & aqua coctis, rosarum succo cum polenta, &c.

71. Nos cor atque iecur Epithematis refrigeramus & humectamus confectis ex aquis violarum, rosarum, borraginis, nymphae, lactucæ, oxalidis, aceto, rosis, santalis, semine portulacæ, rasura eboris, croco, corallis rubeis, osse de corde cerui, speciebus diamargarit. diatrion santal. diarrhod. Abbatis, speciebus pro Epithem. cordis & hepatis cum similibus.

72. Conferunt etiam hecticis medicamenta quæ suo odore refrigerant & humectant, unde poma ex floribus rosarum, violarum, nymphae, portulacæ, santalis albis & rubeis, camphora cum aqua rosarum & similibus conficere licet, quibus igneus ille cordis & pulmonum ardor nonnihil per odora frigidæ & humida restinguatur mitigeturq;.

73. Caterum in usu refrigerantium & humectantium remedium non permittendum, ut hæc eousq; agri corpori adherent donec incalcant, sed subinde mutanda.

74. Deinde huiusmodi medicamentis utendum est, non (sicut vulgus facit) toti impositis thoraci, aut toti ventri, imò illi maxime, quod primò est affectum: Ne id etiam refrigeres, quod prorsus non desiderat, atque ita vicinam aliquam particulam ledas.

75. Unde Galenus ut eò cautiores simus recitat duas historias, ubi alter imposito præcordijs refrigerante medicamento protinus in difficultatem spirandi inciderit: Alter verò confestim tussierit. Sed paulò post utriq; finitum symptoma, ubi quod refrigerauerat, ablatum fuit.

76. Si putrida febris hectica coniuncta, summa in curatione difficultas oboritur, nos vni ita prospiciamus febri, ne altera quantum fieri potest laedatur.

77. Si syncope vel diarrhæa, vel vigilia, vel tussis, vel appetitus destructio, aut similia propter magnitudinem cause rationem obtinentia, curam ad se pertrahant, his ex proprijs capitibus prospiciendum, subueniendumq; erit. Etenim his sic in medium allatis, nostro instituto de hectica satisfecisse videmur.



F I N I S.

Tubingæ.



Anno 1586.

1434057

OCN 1374328393

Tubingen



Anno 1860